

inopia cibi desperant moriunturque aut diffugiunt, contra copia ignauiam adfert, ac iam melle, non erithace, pascuntur. Ergo diligentiores ex hac uindemia XV partem apibus relinquunt. Dies status inchoandae, ut quadam lege naturae, si scire aut obseruare homines uellent, tricentus ab educto examine; fereque Maio mense includitur haec uindemia.

Alterum genus est mellis aestiui, quod ideo uocatur 36 horaeon a tempestiuitate praecipua, ipso Sirio exsplendescente post solstitium diebus XXX fere. Immensa circa hoc subtilitas naturae mortalibus patefacta est, nisi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet. Namque ab exortu sideris cuiuscumque, sed nobi- 37 lium maxime, aut caelestis arcus, si non sequantur imbres, sed ros tepescat solis radiis, medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, ulceribus internisque uisceribus dona caelestia. Quod si seruetur hoc Sirio exoriente casuque congruat in eundem diem, ut saepe, Veneris aut Iouis Mercuriue exortus, non alia suauitas uisque mortalium malis a morte reuocandis quam diuini nectaris fiat.

XV (15). Mel plenilunio uberius capitur, sereno die 38 pinguius. In omni melle quod per se fluxit ut mustum oleumque — appellatur acetum — maxime laudabile